II.

DE MORBIS CVTANEIS

SPECIMEN I.

QVO

DE

CRVSTA LACTEA ADVLTORVM

AGIT

AC SIMVL

AD ORATIONEM SOLENNEM AVDIENDAM

QVA

MVNVS PROFESSORIS MEDICINAE EXTRAORDINARII

D. XXII. JVNII MDCCLXXXV.

AVSPICATVRVS EST

INVITAT

JOANNES HENRICVS FISCHER
MEDICIN. AC CHIRVRG. DOCTOR ET PROFESSOR.

GOTTINGAE
Typis IO. CHRISTIANI DIETERICH.

C'eſt dans le grand livre de la nature qu'il faut lire et non dans ceux des hommes, dont la plûpart ſont remplis d'erreurs et de contradictions.

L'academie Rapport de 1774. 3e edit. p. 36.

Cutem non minus quam reliquas corporis humani partes multis, iisque horrorem faepe mouentibus, malis fubiectam effe, facile edocemur, fi morborum agmen reputemus illorum, qui fub nomine herpetum, tineae capitis, perniorum *a*), leprae, fcabiei, inflammationis cutis eryfipelaceae &c. alios vt praetermittam, occurrunt. Interea cum noftris temporibus alii inueniendis ac in vulgus emittendis *nouis* remediis famam aucupari ftudeant, alii in enarrando rariores morbos atque exponendo obferuationes *inauditas*, operam collocent, alii denique in promulgando multorum annorum vfus ac experientiae fructus occupati fint, mihi quidem operae fore pretium vifum, morbi genus fatis antiquum ac faepius ab auctoribus tractatum, accuratius contemplari, comparando fimul, quae circa aegrotos auxilium implorantes meum in diario annotata reperi. Totus in eo cum effem, atque nouum a Clementiffimo Rege mihi demandatum munus occafionem, opufculum quoddam edendi, fuppeditaret, non dubitaui, hanc prae caeteris eligere materiem. Quae quidem etfi leuis neque noua multis videbitur, altis tamen obuoluta iacet tenebris. Quodfi vero tantum quid lucis cognofcendis et curandis iis morbis, qui cutem inprimis afficiunt, his pagellis afferre poffem, contentus omnino ero, neque laboris poenitebit me fufcepti,

 fi

a) Malum nomine *Chilblains* in Anglia inprimis frequentiffimum ac moleftiffimum.

ſi vnus tantum vel alter foeda cutis eruptione afflictus ſolatium inde atque leuamen haurire poſſit, cum omnes, qui horum morborum curationem tentarunt, multa obſcura, difficilia atque manca ſe inueniſſe fateantur.

Cutis autem anatomiam ac phyſiologiam vbi ill. *Haller*, *Camper* praeceptor atque amicus pia mente in aeternum colendus, *Albinus* et *Lorry* longo optime deſcripſerunt ſermone, ego quidem plane ſilentio praeterire poſſe opinor.

In animum autem induxi, de diuerſis cutis affectionibus, vti occaſio ſeſe offert, agere; non quidem more quorundam, qui in colligendo quaecumque ab artis medicae primordiis ad hodiernum vsque diem dicta ac edita ſupra hunc vel illum morbum extant, intentis ſudant viribus, quamquam vero tale quoque ſtudium meritis carere, dicere nolim. Verum alio fert ingenium, ideoque ea tantum enarrare volui, quae vidi atque obſeruaui iuxta aegrorum lectos, quaeque hac occaſione in mentem venerunt.

Tempore nunc praeſenti de *cruſta lactea*, quae in *adultis* quoque obuiam venit, pauca commemorabo, ea quidem ratione diſpoſita, vt obſeruationem huc pertinentem praemittam, ac ſub fine quasdam adiiciam animaduerſiones.

MORBI

MORBI HISTORIA.

Nicolaus Belu, natus fuit menſe Maio anni 1760., *Auguſtae Trecorum*, principis Campaniae vrbis. Etſi parentibus quidem fortibus ac faniſſimis vſus, tamen morbum effugere non potuit, quo omnes fere iſtius vrbis infantes tenerrima affligi ſolent aetate, nimirum in facie praecipue foedae oriuntur puſtulae, cruſtae lacteae ſimiles, quas autem *la Curée* vocant, eaeque poſt tres vel quatuor menſes iterum euaneſcunt. Matris lacte, vti decet, infans fuit nutritus; quia autem mater eodem tempore angina laboraret inflammatoria, inde lac corruptum atque factum eſſe, vt iſta in ſumma cute eruptio per quinque integros duraret annos, dicebatur, quum caeteri tot menſibus plerumque affici tantum ſolerent. Quamquam vero nouum omnino atque inauditum eſſet, tamen nulla adhibentur remedia, ac morbus natura ſola ſub finem anni aetatis quinti et quod excurrit, videtur ſuperatus.

Duobus abhinc annis elapſis primo morbilli ac dein variolae eum inuadebant. Morbus varioloſus nequaquam benignus ſatis longe durat, at tandem facie valde corrupta foedaque aeger effugit. Vbi vero conualeſcebat, grauius audire coepit, vitiumque auctum fuit, eo magis, quo priſtinae propius accederet ſanitati, ita quidem, vt breui tempore poſt ſignis loqui coacti fuerint, qui conuerſabantur cum eo.

Patre itaque comite, Lutetiam Pariſiorum petiit, vt conſuleret Dn. *Bouvard,* medicum apud Pariſienſes longe celeberrimum. Suaſit hic cauterium brachio applicandum, frequentemque medicamentorum aluum ducentium vſum. Quibus etiam remediis paucos poſt menſes aurium vitium ceſſit, aegroto annum tum aetatis octauum agente optimeque valente, ſi ex-

 cipias

cipias efflorefcentias puftulasque in facie faepius per annum redeuntes atque febrem fine ordine accedentem omni quidem fecundo vel tertio menfe. Poftea vero, quum ad annum decimum fextum perueniffet, vitaeque genus quoddam eligendum effet, hoc confilio iterum Parifios venit, ibique legum iurisque ftudio fefe addicat. Brachii cauterium tum fuperuacuum effe videtur, ideoque remediis a medico domi paternae praefcriptis vlcus fanatur. Per fubfequentes duos annos optima nunc vtebatur valetudine, cauffam in coeli mutatione quaerens. Verum enim vero initio menfis Januarii anni 1779. eruptione puftularum in facie liuidarum grauiori, vehementique humorum in faciem affluxu mirum in modum affligitur. Cutis affectionis, quam infantili expertus fuerat aetate, bene memor, eundem morbum reuerti putat. Accedit ftatim totius capitis tumor, exitque fanies admodum copiofe, per frontem et genas, qua cutis exafperatur atque exulceratur; ea fimul et durior fit et craffior, et roditur, citoque tota facies fquamis obtegitur. Ac eodem tempore glandulae circa collum, fub mento et pone aures pofitae tument atque dolent, immo fubaxillares etiam tumor occupat glandulas. Accerfebantur tum Dn. *Dufresnay*, facultatis medicae Parifinae adfcriptus et Dn. *Peublanc*, chirurgiam in nofocomio magno, quod *Hôtel de Dieu* vocant, exercens: a quibus Pilulae *Belloſte b*), decoctiones fanguinem corrigentes ex herbis Scabios. Borrag. Nymph. &c. praefcribebantur, vna cum balneorum ex aqua calida vfu. Quae quidem omnia per longum temporis fpatium aegrotus ftricte obferuat, at fine leuamine; facies enim non

b) *Pilulae mercuriales Belloſte.* Recipe, Mercur. viui e Cinnabari reuificati vnciam vnam. Cremor. Tartari vnciam dimidiam, triturentur vsque dum globuli mercuriales difparuerint: tunc addantur Diagryd. Puluer. Rad. Jalapp. aa vnciam vnam. Mixta formentur cum Syrupi Capillor. veneris q. s. in Maff. pilular. Dentur ad drachmam femis. V. *Spielman*, Pharmacopoea generalis Argentor. 1783. 4. p. 249.

non modo non mutatur, ſed continuata exulceratio pruriens adeſt, ac ſi ſquamulae interpoſito tempore reſoluuntur, aliae tamen protinus reuertuntur. Quod quidem impedire non potuit faciei cum decoct. herbarum Malv. et Alth. lauatio continua. Totum autem afficiebatur poſtea corpus; ſomnum inquietum perturbabant ſomnia atra et terribilia; cibi appetitus diminuitur; et capitis dolor, et laſſitudo fatigat; febris dum accedit cum languore perpetuo ac ſumma corporis debilitate. Faciei autem effloreſcentia non ſaneſcit, roſio maior eſt; latius ac vehementius procedit, et rubet et dolet. Poſtea vero quam negotiis vacare ſuis vltro non valeret, totque obrutus eſſet malis, tum cataplaſmata ex mica panis, decocto Maluae et Extracto Saturni parata applicat faciei, diſſuadente quidem medico. Verum paucos intra dies facies munda paulumque leuior apparet, aegroque nouam veluti vitam ſuppeditat; quam autem cataplaſmata ſemel tantum neglecta cito iterum deſtruxerunt. Pus enim ac ſanies ſueto loco ſatis copioſe exire, cutemque faciei aſperiorem ac duriorem reddere, rurſus coeperunt. Quae intus ſumebantur remedia, per nouem menſes ſine vllo leuamine continuantur. Quo quidem tempore elapſo Dn. *Peublanc* noſocomii magni Pariſini medicos ac chirurgos conſulere proponit. Vocati igitur menſe Junii anni 1780. Dn. *Davier* et Dn. *Moreau*, alter medicorum, alter chirurgorum noſocomii princeps, aegrotum vident atque examinant. Quibus factis carnis iuſcula cum ſucco herbarum Naſturtii et Chaerefolii recens expreſſo, duabus per diem vicibus ſumenda et Decoct. Regis *c*) loco

c) *Ptiſana laxans l. regia*, Recipe Rad. Lapath. acut. vnciam vnam et dimidiam, Polypod. Quern. Cichor. ſylueſtr. aa vnciam vnam Fol. Oriental. mund. drachmas ſex, Salis cathartic. amar. vnciam vnam, bulliant. in aq. commun. libr. quatuor vsque ad tres, ſub fin. adde Sem. Aniſ. drachmam vnam Rad. Liquirit. raſ. et contuſ. drachmas tres, mal. citr. in taleol. ſect. No. I. colet. Liquor. *Formules de Médicamens*, uſitées dans les différens hopitaux de Paris. à Paris 1783. 8. p. 22.

loco medicamenti purgantis quaque ſeptimana praecipiuntur, omnia enim alia medicamina per os ſumta ſtomachus euomuit. Simul vero balneo ex aqua fluuiatili vti et veſicatorii, quod antea habuit, loco cauterium ſuadent; cataplaſmata autem aeque ac quaecunque remedia externa prohibent. Quae quidem non prius fuerint neglecta, quam cutis faciei et exulcerari et exaſperari iterum coepit, ſaniesque profluit vti antea ſolitum fuit, ita vero vt aegrotus cum aliis tum ſibi ipſi nauſeam ac horrorem excitaret, hisque coactus eſſet, vrbe relicta agrum petere, hominum quo fugeret aſpectum, ſimulque medicorum praeceptis morem ſumma cum religione gereret.

Verum enim vero morbus in dies fit grauior ac peior, magna ſaniei copia exit, colore quidem ex flauo rubicundo, tanta vero acrimonia, vt, vbicunque induſia ac lintea tetigiſſet, veluti maculas inuſtas relinqueret, nulla omnino arte tollendas. Menſes vbi duos in agro peregiſſet, ſtomachusque herbarum ſuccos aegre ferre, immo recuſare coepiſſet, continuare vlterius nequit, ideoque in vrbem rediit, faciem paulo liberiorem minusque tectam ſquamis puſtuloſis habens. Id quod vero nec parentibus nec amicis placuit, igiturque alia tentare remedia ſuadent, praecipue autem frictionum mercurialium vſum, quas vocant in Gallia *les grandes remedes.* Quoniam vero omnes omnino medici in eo conſentiebant, vt mercurii vſum maxime condemnarent, amicorum perſuaſionibus morem gerere aegrotus noluit. Alii dein medicinae haud expertes remedium proponebant graue profecto, dicentes malis deſperatis deſperata quoque adminiſtranda remedia. Opinabantur autem, ſecatis quatuor venis ſanguinem, quantum quidem aeger ſine vitae periculo ferre poſſet, detrahi oportere eoque modo ſolo ſanguinem corruptum diminui, malique radices in ſanguinis vitio

poſitas

positas euerti posse. Alii tum medicamentorum, quae sudorem mouent, ope ad summam cutem humores allicere voluerunt, morbum tunc certo cessaturum curationemque fore perfectam inquientes. Inter tantam quidem opinionum diuersitatem, quas aegrotus tamen, sanitatem vt recuperaret suam, amplecti non dubitauit, amicorum quidam medicamenti similibus in morbis, *Americae* insulis multum celebrati, mentionem facit. Quod eo magis autem arrisit, quoniam medicus ordinarius probaret. Fuit autem Alcali volatile fluor *d)* sumendum cum Decocto fol. Senn. et herb. Meliss. edulcorato Syrupo Capillor. veneris, ita quidem, vt cum guttis viginti quinque, duabus per diem vicibus inciperet, dosin cum quinque guttis in dies augendo, donec ad septuaginta vsque ventum esset. Regimen simul seuerum imponitur, alimenta dura ac cruda vitanda, vinum, acetum caeterosque liquores spirituosos fugiendos esse imperatur. Quibus autem omnibus stricte adhaeret, dosin ad quinquaginta guttas sensim sensimque augendo. Facies tum mundior apparere coepit, omniaque conceptam promptae curationis spem fouere videntur. Quae vero omnis paulo post tempore rursus euanescit, ac morbus antea quidem, quam ad praescriptam venisset dosin, fortior conspicitur remedio. Cutis enim faciei exulceratur atque exasperatur cum pruritu vehementiori, pustulisque liuidis ac pallidis sanies exit; neque vllum quidem discrimen hoc inter tempus et quod praecedebat, animaduertere licebat. Tot autem malis fere obrutus ac quid facere aut cuius implorare auxilium, omnino ignorans, amicorum tandem persuasionibus permotus medicastrum quendam appellare consentit; qui remedium, nomine

d) Idem est quod spiritus salis ammoniaci volatilis vrinosus apud nostros pharmacorum venditores.

mine quidem haud incongruum visum, vendebat, quod sanguinem corrigens atque purificans appellauit. Vbi vero malum mense Februario 1781. ad summum peruenisset gradum, Medicaster remedia apportat, liquorem nempe limpidum aquae similem, syrupum nigrescentem ac linimentum quoddam viride, iubens vt instillentur decem vel duodecim liquoris guttae in ptisanae communis cyathum, et post vnumquemque cyathum cochlearia duo syrupi nigri sumantur, idque repetatur mane ac vespere. Suasit simul remedio frequenter vti purgante ab eo composito, et faciem linimento inungere viridi, quod squamas istas foedas cito auferre valeret; carnis autem vsum omnino vetat nilque nisi olera ac legumina permittit. Circa quadraginta vero dies aegrotus melius sese habere atque facies minus aspera ac leuior apparere coepit, iamque se salvum putat; verum spes iterum fefellit miserum, post quindecim enim alios dies cutis efflorescentia ac pustulae reuertuntur saniesque sueto loco abundanter profluit. Agyrtae remedia tum denuo tentantur et leuamen afferre videntur, infirmum autem fuit et paucos tantum dies substitit. Qua quidem ratione duos integros vixit annos, nunquam a morbo pertinacissimo liberatus, sicuti tamen homo iste pollicitus fuerat. Etsi vero tum temporis diffidere inciperet, nihil tamen magis in votis habebat, nisi vt sanitatem recuperaret; ideoque adiit Dn. *Alphonsum Leroy*, Facultatis Parisiensis doctorem, medicumque longe celeberrimum. Qui vero neque auxilium denegat neque secundae valetudinis spem adimit omnem, dicens interea morbi valde pertinacis curationem annos requirere integros. Iuscula autem ex herbis Acetosae, Lactucae et Chaerefolii paranda, et pilulas ex antimonio crudo, sapone medicinali et mercurio currente factas cum Decoct. Fol. Sennae et Salis Glauberi quantitate praescribit. Quae quidem omnia sub finem

finem aeſtatis anni 1782. aegrotus primum ſumſit, neque vti videbatur ſine fructu. At menſe Januarii anni 1783. morbus, qui nunquam ex toto ceſſauerat, reuertitur paulo tamen mitior. Applicatum fuit vtique linimentum viride, ſicque annus fere elabitur; vbi menſe Auguſti anni 1783. febris ſatis magna aegrum occupat ac per dies octo tenet. Qua autem curata, facies diuerſis temporibus paulo melior ſe habere, ſicque ad menſem Martii anni 1784. vsque pergere coepit. Tum vero morbus impetu multo grauiori ac vehementiori redit ſine omni quidem temporis interuallo.

Autumnum nunc, anni tempus prae caeteris fauens, expectat, quo denuo remediorum ab ill. *Leroy* ordinatorum faceret vſum. Quo quidem facto ac per longum tempus protracto, nullam expertus eſt vtilitatem. Initio enim menſis Octobris faciei morbus reuertitur eadem vehementia ac eodem furore, quo antea conſueuit. Venae ſectionem quapropter protinus in pede inſtituendam ſuadet ill. *Leroy*, elapſisque tribus aut quatuor abhinc diebus hirudines ad anum applicandas curat. Eruptionis autem impetum ſanguis miſſus nullo modo infringere potuit, niſi quod aliquot poſt dies paululum mitior eſſet, nec tantum dolorem cum pruritu excitaret.

Quo vero tempore, Pariſiis vbi commorarer, factum eſt, vt aegrotus me adiret, auxilium aduerſus morbum aeque longum ac pertinacem implorans, atque malorum hiſtoriam enarraret. Tum vero tota facies, praeter oculos, efflorescentiis, puſtulis liuidis ac ſquamis erat plena, atque pus cum ſanie tenui ex flauo rubeſcente e genis, mento, fronte immo etiam partibus circa aures exit. Qua autem ſanie ſquamarum moles in dies aucta cutisque exaſperata fuit, ita quidem, vt, cum morbi praeſentis notas compararem priſtino, qui tenerrima eum afflixerat aetate, cruſtam lacteam nominare

 nullus

nullus dubitarem. Vbi vero aeger cum parentibus consilium peteret meum; respondi, temeritatis primum esse, morbum pertinacem sanandum quidem suscipere, nisi concederetur tempus, dein neque sine sedulitate ac summa perseuerantia aegroti fieri id posse, tum me neque velle neque posse polliceri morbi medelam, quam antea medici multo me peritiores frustra tentassent, ac tandem me breui tempore Lutetiam relicturum esse, nouasque inde oriri difficultates non paruas. Quibus vero omnibus cum responderent, difficultatesque omnes parui facerent, neque de tempore solliciti essent, auxilium denegare non potui amplius. Ac primum quidem, quod in mentem venit remedium, fuit *Viola Tricolor*, quam ill. *Strack*, medicinae Professor apud Moguntinos celeberrimus, laudauit *e*). Verum vbi planta haec neque apud Pharmacopolas Parisienses venalis prostaret neque herbarum venditores eam cognoscerent, aliud in promptu habere remedium oportuit, quod aegro levamen afferre posset. Cum autem iam ante tres annos in simili adulti morbo optimos effectus de Sulphure antimon. aurato cum Calomel. et Extr. Cicutae intus sumtis atque externa linimenti mercurialis *Werlhofii* applicatione fuissem expertus, conducere quoque posse duxi. Neque tamen nimium sperandum esse dicens, cum plantae in Gallia hactenus non vsitatae aliud e medicamentorum genere substituere debuissem, quodsi autem non responderet, in planta vtique habere medicamen non sine omni fructu postea tentandum. — Breui vt dicam, nihil plane promisi, nisi vt solatium atque dolorum leuamen oriretur inde. Minimam etiam spem aegrotus summo amplectitur gaudio. Tum autem medicamina modo praescripsi sequenti; puluerem ex Sulphuris antimonii aurati tertiae

e) Epistola ad Academiam scientiarum artiumque Lugdunensem in Gallia; cum diss. de crusta lactea. Francof. 1779.

tertiae praecipitat. Calomel. optim. āā gr. vno, Conch. praepar. ſcrupulo, mixta exacte Dent. pro doſi, omni veſpere ex aqua ſumendum; — porro Extracti Cicut. method. *Stoerk.* parat. vnciam dimidiam cum Aq. Menth. ſine vino vnciis ſex ſolv. Dent. ad cochlear vnum tempore matutino ac pomeridiano. Quibuscum initium vbi factum fuiſſet, paucos poſt dies remedia externa adieci, et primum quidem medicamentum ex Spiritus Vini camphorati partibus duabus cum Acet. Lithargyr. parte vna, quod in morbis cutaneis tutum ac vtile inueneram antea, interdiu pro lotione atque noctu fomentationis inſtar vtendum; huic demum, quatuor dierum ſpatio praeterlapſo, addidi linimentum ex mercurii praecipitati albi drachmis ſex, Vnguenti pomad. vnciis tribus et olei Jasmini guttis nonnullis paratum, quod veſpertino nimirum tempore, vbi cutis ſquamis aſpera ac exulcerata eſſet in faciem, magnitudine nucis juglandis, inungendum curaui. Pinguia vt fugeret carneque porcina atque anſerina abſtineret, iuſſi; vinumque, quod aegrotus a teneris fere abhorrebat, ſuaſi bonum ac meracum, atque corpus exercere pila aut multa ambulatione ſub dio, ſimulque pedes quatuor per ſeptimanam vicibus aqua egelida lauare eum imperaui. Quo factum eſt, vt anteaquam vrbem reliquiſſem, miſerum bene omnino ſperantem viderem, quia ſaniei profluuium eſſet imminutum ac efflorescentiae cum ſquamulis ſicceſcere ac reſolui ſine aliis quidem renaſcentibus coepiſſent. Quam etiam ſpem minime vanam tum fuiſſe litterae teſtantur, quas menſe Januarii ſubſequentis, cum apud Maſſilienſes eſſem, accepi. Ibi nempe dicebat, ſeſe quod ad faciem attineret, ex duobus menſibus elapſis bene habere, lotione ſaturnino-camphorata bis per diem aeque ac linimento duabus vicibus per hebdomadem vti, caeterum pergere in vſu medicaminum ſupra commemoratorum, vinum

fine horrore nunc bibere coepiſſe, regimen praeſcriptum religioſe ſequi; cibum appetere multo magis quam antea ſolitus fuerit, noctuque dulci refici ſomno; tempus vero vernale, quod nunquam fauere viſum, appropinquans videre non ſine metu, ideoque me ſummopere rogare, vt ipſum tutum praeſtarem de morbi reditu.

Reſpondi breui tempore poſt, metum abiiciendum ei eſſe, et in medicaminum vſu pergendum, ita quidem, vt per viginti dies neglectis plane internis, externa medicamenta tantum applicaret. Auxi linimentum illud ad drachmas duas mercurii praecipit. albi cum axungiae ouillae recentiſſimae drachmis ſex ac ſine olei eſſentialis additione.

Circa medium menſem Februarii litteras iterum miſit, omnia ex voto euenire, magisque liberiorem de metu eſſe in dies, cum ſub veris penes initio eſſet, omnino quidem ſine veſtigiis morbi recurrentis. Idem affirmat litteris menſe ſubſequente, effectus linimenti ac lotionis ad coelum vsque extollens, ſe medicamina per os ſumenda, vti praeceptum fuiſſet, neglecta iterum inchoaſſe et pergere velle vsque ad ſecundum interuallum, quod in reſponſione notauiſſem. Tunc remedia interna cum externis denuo combinanda per tempus quoddam ſuaſi, doſinque pulueris ex Calomel. et Sulph. aurat. antimon. cum grano dimidio auxi, id quod etiam factum fuit cum Cicuta, cuius doſis ad drachmas ſex vsque cum eadem ſupra enarrata quantitate Aquae deſtillatae fuit aucta. Menſe vero Aprilis, cum Lutetiam redux factus eſſem, aegrotum optime valentem inueni, ita quidem, vt linimentum valde raro applicaretur Cicutaque plane omitteretur. Per quinque vero ſeptimanas ſubſequentes in pulueris vſu perſeuerauit, modi vti vocant tantum prophylactici cauſſa. Atque profecto non ſine volupta-

voluptate aegrotum priſtinae ſanitati reſtitutum cum facie leui atque pura, anteaquam ſecunda vice Lutetiae Pariſiorum valedicerem, medio nimirum menſe Maii, vidi. Vſum aquae Selteranae cum lacte per quatuor aut quinque hebdomades protractum, commendaui, aeque ac boni regiminis non obliuiſci inculcaui.

Animaduerſiones.

Cute inprimis affici videntur infantes, dein pueri ac iuvenes, raro viri, rarius autem vel nunquam ſenes.

Etſi ill. *Strack f*) pueros vidiſſet quarto et ſexto aetatis anno cruſta lactea male habitos, attamen morbum etiam adultos interdum vexare, vti per duas vices obſeruaſſe mihi contigit, nondum obſeruauit.

An pueri prae caeteris foeda hac in cute eruptione affligi ſolent? Experientia fere confirmari videtur, cum vnius tantum puellae illuſtr. *Strack* mentionem fecit, inter multa puerorum exempla.

Priuatum autem miaſma in iuuene ſaltem, cuius hiſtoriam commemoraui ſupra, non adfuiſſe, ex eo patet, quod neque mater neque alii ex eadem matre infantes cruſta lactea fuerunt affecti.

Morbum in principe Campaniae vrbe *endemium* tamen eſſe a multis affirmatur, qui paludes atque aquas circa vrbem ſtagnantes, nec non flumen vrbi proximum, *Sequanam*, innumeris fere riuulis per eam conductum accuſant, eoque modo rei rationem vt reddant, ſtudent.

Subita-

f) l. c. p. 49. et p. 53.

Subitaneae aëris variationes nimiaque aëris ficcitas iam diu inter cauffarum numerum, in morbis cutaneis inprimis obuiarum, fuerunt habitae, neque vti videtur iniuria, aeque ac aquae, pro communi vfu fumendae, qualitas.

Vaforum lymphaticorum fyftema cum glandulis in omnibus fere cutis morbis praecipue affici, patet et ex fymptomatibus fupra recenfitis, et ex eo, quod in hominibus fcabiofis, fine vlla labis venereae fufpicione, glandulae inguinales tument atque dolent, porro, quod in tinea capitis parotidum et glandularum circa nucham pofitarum tumor nunquam non inuenitur, quod denique in morbillis, alia vt taceam, glandulae frequenter afficiuntur, praecipue poft morbum male curatum.

Liceat alterum in medio proferre argumentum in rei favorem, nempe quod cl. *Hendy* g) elephantiafin apud Barbadoenfes frequentem, nec non apud incolas infulae *Iavae*, vti glandularum fyftematisque lymphatici morbum confiderat.

In morborum cutis curatione medicamenta externa interdum fola fufficere videntur, interna vero raro aut potius nunquam omnem abfoluunt paginam; cum amborum vero vfus *rite* coniunctus fere femper malo medetur. In neglectu enim remediorum externe applicandorum aut potius in quodam ea adhibendi timore, plerumque quidem vano, quaerenda videtur ratio, cur miferorum plures eruptionibus in cute foedis ac tetris non fint liberati.

Vrinae fecretionis ac excretionis maximum hic effe pondus et ill. *Strack* et meae teftantur obferuationes, cum in duobus aegrotis vrinae excretionem mirum in modum auctam deprehendi, odoris caeterum fpecifici expertis, quamquam cum fedi-

g) *Hendy's*, Treatife on the glandular difeafe of Barbadoes. London 1784.

ſedimento ex colore flauo-rubicundo eſſet. An odor ille a morbi materie, aut potius a plantae vſu oriatur, vti ab aliorum vegetabilium vſu, e. g. aſparagi, obſeruare licet? Experimenta de hac re inſtituenda breui quaeſtionem aut affirmabunt aut reprobabunt. — Mutuus ac plane ſingularis cutem inter et vias vrinae conſenſus ſupra dicta quodammodo confirmare valet.

Neque affinitas, quae hepar inter et cutem intercedit, eo praecipue tempore, vbi morbis afficiuntur, obliuiſcenda, neque primarum viarum conditio in omnibus ac ſingulis fere cutis morbis negligenda eſt; dolores enim colici, vomitus, vitia appetitus, *herpetum* &c. eruptionem praecedere animadverſum fuit.

Eadem quidem ratione, inuerſa tantum, qua ill. *van Swieten* aegrotum malo venereo afflictum rebelli curauit, meo vini boni ac meraci vſum cum diaeta lauta imperaui et non ſine fructu. Id quod in ſanandis morbis chronicis ſummam mereri videtur attentionem.

Quamquam aegrotus per ſatis longum tempus in vſu et externo et interno mercurii perſiſteret, ne vllus quidem ſalivae praeter conſuetudinem ad os affluxus aderat, neque vlla oris affecti veſtigia conſpiciebantur.

Remedium, quod ab *Hiſpanienſibus* aduerſus mammarum cancros nuper fuit laudatum, vſus nimirum quotidianus carnis duarum aut trium *lacertarum*, eius quidem ſpeciei, quam *Linné lacertam* appellat *communem*, capite atque cauda reſectis, magno cum fructu in cutis morbo maxime pertinaci, vbi capitis et faciei partem vlcera dura ac verrucoſa obtexerunt, a

medico

medico *Anglo*, apud Italos medicinam faciente, fuiffe exhibitum, litteris confignatum inuenimus. *h*)

Num *opii* vfus internus in iis praecipue cutis affectionibus, quae vehementiori pruritu aegroti fomnum ac nocturnam quietem omnino perturbant eoque febrem accendunt, commendandus eft? Haud dubito, pofteaquam obferuationes praeclaras cl. *Alexander Grant i*), quibus me quaeftionem debere libenter fateor, legiffem. Inde enim luce clarius patet, opium in fanandis morbis, praecipue vero vlceribus, a nimia quadam morbofa irritabilitate (*morbid irritability*) ortis, fummo cum fructu per os exhiberi, *nunquam* vero ad extinguendum virus venereum aut curandos morbos venereos quid feciffe, vti tamen nuper nonnulli *magno cum clamore* praepoftere annunciarunt. Omnes enim ac finguli aegroti, qui curationem a malo venereo opii efficaciae debere dicuntur, et mercurio fuerunt vfi antea (nimia nempe quantitate id quod irritabilitatem etiam illam morbofam excitauit, ficuti in nofocomio magno, quod *Amftelodamenfes Pefthuis* vocant, mihi ipfi obferuare licuit *k*),) et vno eodemque tempore mercurium cum opio mixtum fumferunt. Plura neque dubia affertionis meae argumenta a cl. *Grant* l. c. commemorata funt, quae alio forfan loco enarrandi occafionem nancifcar. Hic folum addere non incongruum videtur, quod noui, opii vfu interno vlcera a me-

h) — — the ufe of the raw flefh of the fmall common *lizards* two or three in the courfe of a day in a terrible cutaneous cafe, in which the face and a part of the head were covered with confluent ulcerated warts. London medical Journal No. IV. for the year 1784. p. 422.

i) In London medical Journal No. I. for the year 1785. p. 1.

k) Schreiben aus London. vid. ill. *Richter*, chirurgifche Bibliothek, VII. Band p. 768.

a medico quidem *ſcorbutica* dicta in magno Haſlarienſi *l*) noſocomio fuiſſe ſanata, quae aliis remediis cedere noluerunt, neque tamen opium ſcorbuto mederi affirmarem.

Vno eodemque modo effectus edere videtur opium in his morborum generibus neque alio fortaſſe, ſi quos habet, in morbis cutaneis.

l) In Anglia prope *Portsmouth.*

Ne vero longius, quam praeſentis inſtituti ratio patitur, ſermo protrahatur, opuſculi continuationem alio tempore exhibendam duxi, occaſionem in nouo munere Clementiſſime mihi demandato non defuturam ſperans. Vt ergo craſtino die PRINCIPES SERENISSIMI, PRORECTOR MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, PROFESSORES ILLVSTRES, DOCTORES ET MAGISTRI PRAESTANTISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI HVMANISSIMIque frequentes adeſſe velint, meque *de vitiis nonnullis, quae in educatione medicorum iuniorum academica committuntur, atque de modo, quo euitari poſſint,* verba facientem, ea qua ſolent, indulgentia audiant, omnibus precibus oro rogoque.

Officii ſimul memor mei recitationes hoc ſemeſtri aeſtiuo habendas et de die I. menſis Junii iam inchoatas, *Commilitonibus praenobiliſſimis atque cariſſimis* indicare non alienum puto.

1. *Artis obſtetriciae principia* duce *Stein* (Anleitung zur Geburtshülfe) hor. 2-3. quinquies per hebdomadem tradam,

eo quidem modo, vt ſimul in machina artificiali, Gallis *Fantôme* dicta, encheireſes, arti rite exercendae neceſſarias et monſtrem et imitandas curem.

2. *Foeminarum* aeque *morbos* tam *acutos* quam *chronicos* iisque medendi rationem indicabo diebus Lunae, Martis, Jovis ac Veneris hor. 8-9.

3. Atque eadem hora diebus Mercurii et Saturni *publice* de morbis, qui *infantilem aggrediuntur aetatem*, agam.

4. Nec deero iis, qui deſiderabunt *collegium practico-elaboratorium* in diiudicandis ac ponderandis caſibus medicis difficilioribus, immo ſaepe in forum protractis.

Dab. Gottingae d. 21. Junii 1785.